DISSERTATIO BREVIS,

QVA

demonstratur,

Quantum, quamque vicinum periculum immineat Angliæ, Galliæ & reliquis Regnis ac Prouincijs Europæ, subiugatâ Germaniâ & victo Dano.

ET

Quàm necesse igitur sit Dano & Germaniæ periclitanti ac belligeranti absque omni morâ succurrere.

Anno Domini.
M. D. C. XXVI.

DISSERTATIO.

AVstriaco-hiſpanicam domum centum abhinc annis adſpiraſſe ad Monarchiam vniuerſalem Europæ, omnibus cognitum eſt, & ipſi Auſtriaci tàm verbis ac ſcripto, quàm re & opere teſtantur & confitentur. Carolus V. primus fuit, qui auſus eſt adſpirare & attollere animos ad concupiſcendam Vniuerſalem Monarchiam, aditu & calle præparato per diadematis Imperialis cum hæreditarijs prouincijs connexionem. Sic ſcribit Guicciardinus lib 18. nihil conſultius promouendæ Auſtriacæ domus magnitudinis judicatum fuiſſe, quàm concumulare in vno ſolo potentiam. Fundamenta Caroli V. tanta & talia eſſe, vt junctâ ſibi Imperiali dignitate ſperari poſſit, Italiam omnem & maiorem partem Chriſtianitatis reduci poſſe in Monarchiam. Hinc vocatus fuit Maximus, cognomento per Papam impoſito, quod Imperio ſuo ſubiectas haberet, vt dicit Alphonſus Lopezius in opere ſuo Genealogico, ambos orbes, veterem & nouum; nomen meritiſſimum & tàm potenti Principi debitum. Idem Lopezius filium Caroli Philippum vocat Monarcham vniuerſalem mundi, dominum vtriuſque Orbis: non tàm ideò, quòd poſſideat, nam non poſſidet, quàm quòd prætendat & jure ſibi deberi, ac proinde iuſto titulo à ſe ſubiugari poſſe pertendat. Sicut Avitus apud Tacitum aſſe-

Lib. 8. cap. 10.

Lib. 13. Ann. cap. 56.

rit Dijs placitum esse, vt arbitrium omnium rerum penes Romanos maneret, & darent aut adimerent REGIONES CVI VELLENT; alios judices, quàm seipsos paterentur: ni Imperator & domus Austriaca in ius & Imperiũ Romanorum succedens, prędominationẽ in omnia alia regna affectat & sibi vendicat. Hæc verò est indoles, & natura Monarchicæ dominationis, vt omnia imperia & respublicas quas nondum subiectas habet, sibi subjiciat.

Kirchner lib. de Legatis.

Hispanus quidam Andreas Mendoza paruo libello, quo Bumachiam, in honorem Principis Caroli Britanni, celebratam describit Vrbem Madritũ, Caput Mundi, præfixo titulo & inscriptione appellitat, ac multis rationibus probare annititur, cur potiori jure sit Caput Mũdi, quã olim Roma fuerit, & vocari debeat; inter alias rationes sunt potissimę, quod imperium juræ naturæ & successionis fundatum sit in Philippo, & Hispani, in quorum imperijs nunquam Sol occidat, latiùs dominentur, quàm olim Romani: & quod felicissima Hispanorũ arma, leges & imperia dederint terrarum orbi: in Italiâ, in Germania, in Africâ, Principes & respublicas stabiliuerint, Reges constituerint Morucci, plurimos item in Oriente, Muleasen in Tunetano regno, Xequem in Mauritaniâ. Quod de Romanis olim Galgacus Brittannorum Dux apud Tacitum, hoc verius de Hispanis hodiè Angli dicere possunt: Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuére terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis, auari; si pauper, ambitiosi. Quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes, atque inopiam pari affectu concupiscunt; auferre, trucidare, rapere

In vita Agricolæ.

rapere falsis nominibus imperium, atque vbi solitudinem faciunt pacem appellant. Et quis est mortalium inter Christianos & Barbaros, qui ignoret, scopum & intentionem Hispani esse, totius Orbis dominatum affectare & prætendere, vt sibi jure debitum? sicut magnorum imperiorum natura semper fuit vicina complecti; ita Hipani maximè est, vicinas Respublicas & regna datâ aut quæsitâ occasione deuorare. Ob id nomen Catholicum, siue Vniuersum, sibi vendicat, quasi καθολικῶς & per Vniuersum terrarum Orbem regnare, propitio fato debeat. Cùm igitur omnibus imperitare velit Hipanus, vt inquit Brittannorum regulus Caractacus apud Tacitum, sequitur vt omnes seruitutem accipiant, nisi depulerint. Lipsius. Tacit. an. lib 12.

Bellum contra Principes Germaniæ non alio fine cœptum est, & cum tantâ mole & animis tàm diu continuatur, quàm vt in Angliæ & Galliæ Regibus finiatur: quid enim aliud expectare possunt ab Hispanis, quàm dolum in præsens, & posteà bellum? Lucius primùm paruos pisces deuorat, vbi illorum saginâ adoleuit, magnos adoritur: sic Romani: euersis priùs in Italiâ regulis, Reges Asiæ, Ponti, & alios extra Italiam, aggressi sunt. Germania seruitute acceptâ, instar gradus est & fundamenti ad Monarchiam hispanicam: ibique iam cuniculi fodiuntur euertendis reliquis Principibus: illius enim ruina tractura est cætera Europæ regna. Henricus II. Galliarum Rex hoc benè nouit, cùm in suis ad Proceres & Ordines Imperij literis, anno 1552. scriptis, Germaniam propugnaculum vocat libertatis reliquorum in Europâ Regum. Campanella Mitridat. apud Saluſt. Varro in Satyr fragm.

In libro de Monarchia

panella consiliarius hiſpanicus multis argumentis demonſtrauit, non niſi Germaniâ domitâ domum Auſtriacam ad Monarchiam poſſe aſcendere; per illam incipiendum eſſe, in illâ ſenſim vinci reliquos; illam etiam propter factiones, & ex diuerſitate religionis ſuppullulãtia diſſidia, & propter auctoritatem Imperatorij faſtigij & propter tot potentium Prælatorũ ſtudia, omniũ opportunã victoriæ & iugo: illâ verò in libertate cõſuetâ manente, nihil cum ſucceſſu contra alios tentari. Facilè enim, & quâuis occaſione, motus ibi excitari poſſe, quibus Hiſpanus & domus Auſtriaca diuertatur alium extra Imperium Principem, vel Gallum, vel Anglum, vel Batauos bello aggreſſa. Si ſaltem Principes Electores tantum libertatis & animorum nanciſcerentur delegendi ex aliâ domo Imperatorem, actum eſſe de potentiâ Auſtriacâ, & eam etiam extra imperium caſuram, & vileſcituram. Germaniam igitur prius perdomandã, & in poteſtatem redigendam, ſi nolit in propoſito & opprimendis cæteris Regibus turbari. Imperator hodiernus ipſe in ſuis ad Zunigam Hiſpaniæ Regis conſiliarium literis nuper ſcripſit: fundamenta, inquit, auguſtæ domûs noſtræ Dei gratiâ tàm latè per orbem terrarum dominantis, in Germaniâ eſſet, maiores noſtri ſemper judicarunt, quæ eò magis ab hoſtium ui defendenda ſunt, quo propior ijs ſuffoſſis ruina. Cum Gabor Tranſiluanus anno 1621. potenti & victorioſo exercitu Auſtriam deuaſtaret, Hiſpanus per Oratorem ſuum, Comitem Ognatenſem hoc conſilium propoſuit Imperatori; omnibus modis, etiam duriſſimis cum conditionibus pacem cum Gabore, & in Otiente

paciſcendam

paciſcendam eſſe; tùm enim faciliùs & promptiùs Principes in Imperio tumultuantes, in ordinem redigi, potentiam in Germaniam ſtabiliri, Septentrionem frenari poſſe; eo facto reliquam Europam dominationem nec euitaturam, nec recuſaturam. Tum enim omnes militū copias in Germaniæ limites, diſponi fas eſſe, contermínis Principibus, armis ſupraſtantibus, continuo periculi metu coërcendis & conſūmandis: ſic etiam tractatus confœderationum & conuentuum, nouarumque rerum molitiones impediri, & Batauorum res in arctum cogi, auxilijs, alimentis, & viribus reſiſtendi ademptis: has eſſe vias, hos gradus ad potentiam benè conſtabiliendam. Hoc conſilio approbato Ferdinandus cum Gabore Niclasburgi & Oedinburgi ſtatim pacem duriſſimis cōditionibus pepigit. In Germaniâ certè hoſtes potiora ſua robora exercitum primarium, tanquam inuictam & perpetuam aciem, habent, compoſitum ex Vnitis omnium vbique hoſtium viribus, Ligiſtarum, Imperatoris, Hiſpani, & , ſi opus eſt, Poloni. Ille in omnes partes excubat, ille inſtar cordis & Capitis eſt, qui calorem & fomentum diffundit ad reliquos, quos habent in alijs partibus ſubordinatos, vt ita dicam, exercitus; qui mẽbra ſunt, & vel ex Hiſpani, vel Imperatoris viribus ſolis conſtant, at in hoc vnita ſunt, vt diximus, omnium hoſtium robora, ad hunc conſeruandum omnes contribnunt, in hoc ſedem ac fundamentū rei benè gerendæ ponunt, ad hunc, tanquàm tutum propugnaculum ſe recipiunt; hoc continent in metu ſuſpectos, motus præueniunt & coërcent; ſi aliquid in finibus nutat & turbat, ſi domi nouarum rerum molitiones timentur, ſi amici & ſocij in periculo ſunt, ſi auxilia petuntur: nutantia firmant, ſuſpecta frœnant, amica ſocillant,

auxilia

auxilia mittunt. Principes Ligiſtæ, & domus Auſtriaca ad huius exercitus conſeruationẽ, à quo omnem ſalutem & tutelam dependere norunt, tantò promptiùs & liberaliùs contribuunt, quantò maius periculum ipſis imminere norunt, illo euerſo & deleto. Vbique enim, alijs etiam in locis hoſtis fortuna, robur & animi tùm ſimul concidant neceſſe eſt; pecunias & viros imperare, & ad remota tuenda mittere impeditur: victor autem progredi poteſt, nullo reſiſtere audente, nec vires tàm citò recolligere valente, quia plures ad conſeruandum hunc exercitum, quem vt res ſecundæ continent, ita aduerſæ, & vna aliqua magna victoria, citò diſſoluent, contribuunt; & vno aut altero obtrito & victo, reliqui attoniti & in domeſticis protegendis ſatis occupati, haud poterunt tàm promtè conferre vires & opes, & ſe domi nudos præbere.

Tac. in Agri.

Ex his & alijs, quæ adduci poſſent, manifeſtum eſt, ſcopum hoſtis eſſe nullum alium, quàm debellatâ Germaniâ Monarchiam fundare, & reliquos Europæ Reges, vnum poſt alium, ſub iugum mittere. Et ſanè, ſi Hiſpani Germaniâ abſolutè potiuntur, perditis vel exhauſtis Indijs, hanc iſtarum loco habebunt: nam Germania, regnum eſt totius Europæ ampliſſimum & potentiſſimum; tot emporijs, tot vrbibus Imperialibus, tot Dynaſtis potentibus inſigne.

Lipſ in dedicat Centuriæ ad Germ. & Gallos ex Lucretio.

Rebus opima bonis, multâ munita virûm vi;

Et, quod in primis ad Monarchiam Auſtriacam confert, in meditullio Europæ ſitum. Si vel ex quâlibet Republicâ, & ciuitate Imperiali, & à quolibet Principe, non niſi vnam turmam aut cohortem cogunt, & ali faciunt; exercitum perpetuum & cuiuis regno euertendo ſufficientem formabunt & ſuſtentabunt

bunt. Quod si vrbes Hanseaticas & maritimas, Hamburgum, Lubecam, Bremam, Embdam, & reliquas, quæ haud procul absunt à discrimine, hoste tàm vicino & progredi annitente, subiugant; potentissimas classes instruere, & à Septentrione, & à Meridie Angliam Galliamque infestare possunt. Ne dicamus, tùm eos commercia impedituros, & non nisi, cum quibus velint exerceri passuros. Et licet interea alibi aliquid amittant, subiugatæ tamen Germaniæ viribus faci'è postea recuperabunt. Hoc ex eo tantò luculentius apparet, quod tantis tamque infestis animis vndiquaque contractis in vnum viribus Dano & inferioris Saxoniæ circulo incumbant & bellum continuent. Si enim Danum profligant, inferiori Saxoniâ, ciuitatibus Hanseaticis, & Oceani Germanici dominio atque ita totâ Germaniâ potientur, initium & fundamentum Monarchiæ ſecurum & firmum stabilient, & reliquum laborum in cætera Europæ regna facillimum effectu efficient, non in vnum diem sed in perpetuum victores.

Quod apud Liuium Hanniball & Scipio de illâ fatali Carthaginensibus pugnâ prædicebant, ante crastinam noctem cognitum iri, Roma an Carthago iura gentibus daret; neque enim Africam aut Italiam, sed orbem terrarum victoriæ præmium fore: hoc nunc quoque dici potest, nempè Dano deuicto & debellato, appariturum, Austriaco-hispanam domum jura Europæis daturam; neque enim Germaniam aut inferiorem Saxoniam, sed Europam totam victoriæ præmium esse. Experientiâ pugnæ Pragensis, quæ superiorem partem Germaniæ, quicquid est intra Danubium & Rhenum, perdidit, didicerunt, quid sit præ- Lib. 30. ca 32.

lio vincere eum, vnde plurium fortuna dependet in Republica, qui deinde caput ſuę defenſionis ampliùs habere nequeant, metu & confuſione in deſperationem acti. Si enim Danum vincunt, ſimul inferiori Saxoniâ, ciuitabus Hanſeaticis omnibus, ſicut dictum eſt, Oceani Germanici dominio, atque ita totâ Germaniâ ſine controuerſiâ potientur, & ſic potentiæ fundamentis benè ſtabilitis, reliquæ Europæ breui & abſque magno impedimento ſeruitutem imponent. Nullus deincèps exterorum Regum ſe mouere audebit; omnes res conclamatas judicabunt, & deſerent, Bataui vndequaque circumceſſi vel per ſe concident, vel viribus ſuper ingredientibus iunctis ſubitò opprimentur. Anglus à Germaniâ, à Flandriâ, à Luſitaniâ infeſtabitur; Hiſpani potentia per Oceanum, ſicut per terram, acceſſione tot vrbium maritimarum tremenda erit, nullo reſiſtere & ſe defendere ſatis valido. Gallus intra ſuos cancellos incluſus, ne hiſcere audebit; commercia nulla Anglia, nulla Batauia, nulla Gallia habebunt, niſi ex gratiâ Hiſpani & Imperatoris. O quàm deplorandum eſt! res omnes per Europam Regum & Principam hodiè eò extremitatis redactas eſſe, vt vniuerſorũ & ſingulorum libertas, & ſalus à tàm paruo momento ac filo dependeat! victo enim Dano, & ſubiugatâ Germaniâ, cæteri vix ampliùs etiamſi omnes vires coniunxerint, ſua defendere poterunt; omnis etiam belli moles in Anglos deriuabitur.

uid. epiſt. 15.

Exemplo tangi non propriore queunt,
At, *Quis dubitat ciuis vicinam extinguere flammam*
Proxima gliſcenti cum ruit igne domus!

Bella inſtar flammæ ſerpunt, & proxima corripiunt, niſi extinguuntur in illis locis, vbi ardent. Sibellum

in

in Bohemiâ extinctum fuiſſet Germaniam non conflagraſſet; ſi in inferiore Saxoniâ & apud Danum non extinguitur, ad vicinam Angliam mox ſcintillas diffundet.

Hinc apparet & tanquàm in paruâ tabu'â conſpicitur, quantum quamque vicinum periculum immineat reliquis in Europâ regnis, ſi vel parumper ſaltem diſtulerint ſubuenire Dano, quà opibus, quà viribus, quà conſiliò. Qui ædificia evertere & ſolo allidere volunt columnas & fundamenta ſollicitant & commouent, ſubuertunque: hoc facto ſubitò tota moles concidit. Columnæ & lapides, qui priores exſcinduntur difficilius loco mouentur, quę ſequuntur facilùs & minori cum labore ædificio iam inclinante: ſic citiùs vincentur reliqui Europæ Reges & Principes, quàm fuerunt victi primi. Romanis victoria contra Carthaginenſes prima potentiæ obſtacula plus laboris & ſanguinis conſtitit, quàm illæ quæ vel contra Antiochum, vel Philippum, vel Iugurtham, vel Mitridatem Aſiæ & Africæ ac Ponti Reges obtinuerunt. In Germaniâ prima religionis & libertatis columna fuit Elector Palatinus hanc hoſtes primò ſubuertere aggreſſi ſunt, quâ euerſâ ſtatim ſuperior Germania in ergaſtulum detruſa fuit, ſublatâ religionis & libertatis poſſeſſione & ſeruitute, ac ſuperſtitione introductâ. Iam ſecundam columnam adorti ſunt & deijcere conantur, quæ eſt Danus: illâ proſtratâ inferior Saxonia, & conſequenter quicquid eſt in Imperio & Germaniâ vno impetu corruet. Tertia columna, quæ eſt Anglus, tùm proxima erit, quâ collapſâ, ſimul de religione & libertate, totiuſque Europæ ſalute, omnimodè actum erit. Sola autem diu ſubſiſte-

re nequibit; nec ædificium, vt sic dicam, communis libertatis; & melioris religionis sustinere, minùs labentes partes atttollere poterit. Imò quod Galgacus Brittannicus dux dicit; sicut in familiâ nouissimus quisque seruorum, & conseruis ludibrio: sic in hoc orbis terrarum famulatu, vt nouissima, ita omnium vilissima in excidium petitur. Quocirca si Angli & Galli à ceruicibus discrimen depellere, & libertate veteri, ac focis & aris frui, intraque muros pacem habere, tutique esse desiderant, necesse est vt Danum, & reliquos, qui ante Vallum & mœnia, vt sic dicam, Galliæ & Angliæ pugnant omni axilio & ope, idque sine dilatione juvent & subsistere faciant; ipsi etiam simul manum distrahendis tàm potentis hostis viribus admoueant, quo propulsatis periculis, & restitutis amicis, libertateque & religione recuperatâ, tuta ac secura pax Europæ reddatur. Quod si verò differre perrexerint, aut contemptis his sanis consilijs, sociorum incuriosiores erunt, & in contribuendis ad alimentum belli subsidijs tardiores, vel auari, frustrà posteà pœnitebunt; sed proprij exitij tanquàm turdi, qui sibi ipsis malum cacant, vt prouerbio dicitur, auctores perpetuâ apud posteritarem ignominiâ & detestatione vapulabunt. Nunquam meliùs opes nostras impendimus, nunquum promptiores esse debemus, nunquam vtilius & tutius fœneramus, quàm pro salute & conseruatione patriæ, religionis & libertatis, & nostrorum ipsorum. Nulla bestiarum est, quæ non partem aliquam sui corporis malit perdere, quàm totum: expedit sanè millies, tonderi, quàm semel deglubi, & aliquid lanæ vltrò dare, quàm

...cit in vita ...gricol.

quam detractâ pelle enecari. Sic præstat, O EVROPÆI, conferre opes & vires, vt eas & vosmetipsos conseruetis, quàm vt victi ab hostibus excoriemini, & cum omnibus fortunis vestris, religionis etiam bono vnico, animarum solatio, & aurcâ libertate priuemini, atque ita in perpetuum ergastulum detrudamini. O quàm sæpè pœnitent nunc Bohemi, & major Germanorum pars, quòd non promptiores & liberaliores fuerint, ac omnia quæ habuerunt sub cœlo fortunæ bona contribuerint pro defensione patriæ, quòd non fortiùs & virilius rem aggressi sint, & discrimini ab initio constantiùs alacriusque cunctis opibus impensis restiterint: nunc omnibus bonis spoliati, vel in exilio extorres degunt, vel duro sub jugo suspirant. Hoc vobis exemplum sit, quò vestra rectiùs componatis; & per aliena experimenta docti, ne quærite quemadmodum cæteris exemplo sitis. Si quid domi simultatum, contentionum & malorum vos angit aut turbat, & impedit, vel ponite, vel seponite, patrię amorem & salutem, prę ferte, maiori & cõmuni periculo primùm occurrite; imitati exẽplũ Aristidis, qui Themistocli valdè aduersus, cùm tamen vnà in legationẽ missi essent, & Græcia patria vicino hoste Xerxe periclitaretur, visue, ò Themistocles inquit, inimicitias paulisper hîc deponamus recepturi eas cùm redierimus, & hostem à patriâ depulerimus?

Sallust. in B. Mitridat. Tacit. in v. Agricolæ l. 32. cap. 1

Plutarch.

Cùm furit in Venerem, pelagi se littore sistit,
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit.
Murenamq; ciens ingentia sibila tollit;
At subitò amplexus appetit illa viri.

Alciatus in Emblem.

Sic qui Reipublicę salutem amãt, omnem quam habent, priuatam simultatem & odium deponunt, & publici

boni causâ ea agunt, quæ neceſſitas & conſeruatio communis flagitat. Si nautæ & remiges qui vnâ naue vehuntur, & pari periculo tanguntur, digladiari vellent tempeſtate ingruente, an non omnes vnà perirent? ſe conjungunt potiùs ad commune diſcrimen auertendum: odia reſumunt & vlciſcuntur ſi in terras redeunt & in tutum.

Requiritur denique, vt citò & abſque dilatione ſubſidia ferantur, & confeſtim fiant, quæ neceſſaria ſunt, ne inutuli cunctatione agendi tempora deliberando perdantur, neue dies rerum verbis terantur, & ſic poſt feſtum auxilia veniant.

Sumitur incaſſum clypeus poſt vulnera, fruſtrà
Tùm ſapiunt, cùm ſunt Pergama capta, Phryges.
Impiger à patriâ populus non deſide curâ
Differt quæ ſitâ pellere damna morâ.
Se non excuſat, non quærit fingere cauſſas,
Haud liquit damnum creſcere deſidiâ.
Inualet effrenis grauiorum turba malorum,
Dum trahitis vanis tempora cæca moris.
Et dum vos veſtræ non tangit cura ſalutis,
Sed ſinitis ſteriles ire redire dies;
Interà ſtudijs hoſtes non ſegnibus inſtant;
Plus vigilant, altum ſtertere cum ſimulant.

Duo in primis Rempublicam Chriſtianam hodiè afflixerunt, & in eum, in quo nunc eſt, calamitoſum ſtatum deduxerunt; primò, quòd ſingulos ſemper pugnare ſiuimus, & nos ijs, qui bello fatigabantur non

non ſtatim conjunximus, rebus illorum adhuc florentibus; ſed vel aliorum laboribus nos tutos fore putauimus: vel res alienas noſtro periculo curare noluimus: cùm tamen res aliena non ſit, ſed tua

——————*Paries cùm proximus ardet.*

Itaque dum ſinguli pugnarunt, vniuerſi vincebantur. Secundò, dici non poteſt, quantum hactenus cunctationis malo, quo nihil perniciosius eſt, peccauerimus. Quod ſi adhuc moras nectere, & rerum momenta negligere Anglià & Gallia pergent, mox cæteros etiam, qui adhuc in Germaniâ ſuperſunt, ſocios perdent, pœnas tandem grauiſſimas dementiæ luituræ & ſeruitium cum illis paſſuræ. Nunc igitur, quoniam adhuc aliquid temporis reſtat, & dum rerum momenta vrgent, maturâ & celeri opus eſt coniunctione. Hoſtis iam opportunus eſt, eius potentia in imperio nondum ſtabilita; imperium inuiſum, nec diu retinendum, diutina felicitas & in faſtigio rotę collocata mutationi & caſui propinqua, ærarium tot continuis bellis exhauſtum, vires diſperſæ, tùm propter bella in Italia, in Belgio, & in Germaniâ: tùm propter copias hinc inde in finibus & pręſidijs diſpoſitas ob metum. Bohemia cum vicinis prouincijs ſub duro iugo ſuſpirat, & non niſi excutiendi occaſionem optat. Vngari & Tranſiluanus proni ad motus, & ſubitò in bellum accendendi: tot Proceres patrijs ſedibus extorres, tot millia libertate religionis orbati, & ad aliena ſacra coacti, tot innocentes oppreſſi, ſi via facta fuerit, prorupturi. Bauari amicitia fluxa & fortunæ aſſecla, qui nunc hoſtes mox futuri ſocij & Amici. Principes & Ordines imperij non affectu, ſed terrore retinentur, quo remoto

Tacit. in vita Agricolæ.

Seneca.

Taci. in Ag

moto, qui timere desierint, odisse inpciient. Felicitas quoque & fortuna hostis iam ad summum rotæ perducta est, & ægrè cõsistet, communi voto, consensu & sententia Orbis Christiani execrata, & coërcenda. Iam ad culmen eniti contendit, vnà cum ipsis ramis, quos comprehendit, decidet. Qui stabilire res suas potuit, & fortuna vtiliter vti & non tecit, is proximus est casui fatali vel superbiâ, vel pertinaciâ sibi accellerans ruinam. Auertite igitur mentes, O Europæi, & sublatis moris, omnibusque, quæ impedire possunt, obstaculis, vobis ipsis prospicite. Nam vt versu finiamus,

Seneca.

Curtius lib. 7 Guicciard. lib. 17.

Ventum ad supremum est vicina pericula gliscunt,
Cottidiè flammæ ceu, magis atq; magis.
Heu pudeat vanis consumere tempora votis,
Exitij vestri maxima caussa mora est.
Si vos non socij damni consortia, saltem
Vos moueant proprij proxima damna mali.
Versantur medio res in discrimine vestræ,
Leges, libertas, publica iura, salus.
De vobis agitur, vestro de sanguine lis est,
Lis est de Europæ toius Imperio.
Sunt Patres, Matres, fratres, caræq; sorores,
Sunt defendendi pignora, templa, foci.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 2. *l.* 3. *adde* neque *ante* alios iudices. 4. *lin. eiusd. pag. pro* ni *lege* sic. *Pag.* 3. *lege* Hispani *pro* Hipani.

c pr X
#59603-22

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION